

Eloquentia apud Romanos temporis Gracchorum, Antonii, Crassi

Rimsko govorništvo

Ak. god. 2009/2010

1 Ti. Gracchus et C. Papirius Carbo

Ti. Sempronius Gracchus, Gracchi filius atque Corneliae, P. Cornelii Scipionis Africani maioris filiae; circa a. 586/168-591/163 natus, a. 621/133 a. Chr. n. mortuus est.

C. Papirius Carbo fuit tribunus plebis a. 624/130; optimatum causam amplexus consulatum adeptus est a. 634/120 et L. Opimium, qui Gracchum occiderat, defendit; anno post a L. Licinio Crasso accusatus voluntaria morte iudicum severitatem effugit.

Cic. Brut. 103

Utinam in Ti. Graccho Gaioque Carbone talis mens ad rem publicam bene gerendam fuisset quale ingenium ad bene dicendum fuit: profecto nemo his viris gloria praestitisset. sed eorum alter propter turbulentissimum tribunatum, ad quem ex invidia foederis Numantini bonis iratus accesserat, ab ipsa re publica est interfectus; alter propter perpetuam in populari ratione levitatem morte voluntaria se a severitate iudicum vindicavit. sed fuit uterque summus orator. atque hoc memoria patrum teste dicimus. nam et Carbonis et Gracchi habemus orationes nondum satis splendoribus verbis, sed acutas prudentiaeque plenissimas. fuit Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus et Graecis litteris eruditus. nam semper habuit exquisitos e Graecia magistros, in eis iam adulescens Diophanem Mytilenaeum Graeciae temporibus illis disertissimum. sed ei breve tempus ingeni augendi et declarandi fuit. Carbo, quod vita suppeditavit, est in multis iudiciis causisque cognitus. hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noster L. Gellius qui se illi contubernalem in consulatu fuisse narrabat, canorum oratorem et volubilem et satis acrem atque eundem et vehementem et valde dulcem et perfacetum

fuisse dicebat; addebat industrium etiam et diligentem et in exercitationibus commentationibusque multum operae solitum esse ponere.

2 C. Sempronius Gracchus (a. 600/154–633/121 a. Chr. n)

Novem annis minor natu quam Tiberius frater, longe et praestantiore ingenio et uberiore facundia eum superavit. Prima stipendia a. 616/138 meruit, et triumvir agris dividendis ex lege Sempronia factus est a. 621/133. Quaestor creatus Sardiniam provinciam a. 628/126 sortitus est; Romam autem post biennium sua sponte reversus tribunus plebis a. 631/123 creatus est et iterum insequenti anno; quo in magistratu cum multas promulgasset leges plebi gratissimas, eius adversarii enixe restiterunt quominus rursus tribunus crearetur; repulsam enim tertio tribunatu petendo tulit. L. Opimio inimicissimo eius consule seditione orta a. 633/121 interfectus est eiusque corpus capite praeciso in Tiberim proiectum (aut vero Misenum ad Corneliam matrem latum).

Cic. Brut. 125

Sed ecce in manibus vir et praestantissimo ingenio et flagranti studio et doctus a puero C. Gracchus: noli enim putare quemquam, Brute, pleniorum aut uberiores ad dicendum fuisse.

Et ille: sic prorsus, inquit, existumo atque istum de superioribus paene solum lego.

Immo plane, inquam, Brute, legas censeo. damnum enim illius immaturo interitu res Romanae Latinaeque litterae fecerunt. utinam non tam fratri pietatem quam patriae praestare voluisset. quam ille facile tali ingenio, diutius si vixisset, vel paternam esset vel avitam gloriam consecutus! eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis. manus extrema non accessit operibus eius: praecclare inchoata multa, perfecta non plane. legendus, inquam, est hic orator, Brute, si quisquam alius, iuventuti; non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest.

Gell. 11, 10

Quod C. Gracchus in oratione sua historiam supra scriptam Demadi rhetori, non Demostheni, adtribuit; uerbaque ipsius C. Gracchi relata.

Quod in capite superiore a Critolao scriptum esse diximus super Demosthene, id C. Gracchus in oratione, qua legem Aufciam dissuasit, in Demaden contulit uerbis hisce: »Nam uos, Quirites, si uelitis sapientia atque uirtute uti, etsi quaeritis, neminem nostrum inuenietis sine pretio huc prodire. Omnes nos, qui uerba facimus, aliquid petimus, neque ullius rei causa quisquam ad uos prodit, nisi ut aliquid auferat. Ego ipse, qui aput uos uerba facio, uti uectigalia uestra augeatis, quo facilius uestra commoda et rempublicam administrare possitis, non gratis prodeo; uerum peto a uobis non pecuniam, sed bonam existimationem atque honorem. Qui prodeunt dissuasuri, ne hanc legem accipiatis, petunt non honorem a uobis, uerum a Nicomede pecuniam; qui suadent, ut accipiatis, hi quoque petunt non a uobis bonam existimationem, uerum a Mitridate rei familiari suae pretium et praemium; qui autem ex eodem loco atque ordine tacent, hi uel acerrimi sunt; nam ab omnibus pretium accipiunt et omnis fallunt. Vos, cum putatis eos ab his rebus remotos esse, inperditis bonam existimationem; legationes autem a regibus, cum putant eos sua causa reticere, sumptus atque pecunias maximas praebent, item uti in terra Graecia, quo in tempore tragoedus gloriae sibi ducebat talentum magnum ob unam fabulam datum esse, homo eloquentissimus ciuitatis suae Demades ei respondisse dicitur: “Mirum tibi uidetur, si tu loquendo talentum quaesisti? ego, ut tacerem, decem talenta a rege accepi.” Item nunc isti pretia maxima ob tacendum accipiunt.«

Gell. 10, 3, 2

Locorum quorundam inlustrorum conlatio contentioque facta ex orationibus C. Gracchi et M. Ciceronis et M. Catonis.

Fortis ac uehemens orator existimatur esse C. Gracchus. Nemo id negat. Sed quod nonnullis uidetur seuerior, acrior ampliorque esse M. Tullio, ferri id qui potest? Legebamus adeo nuper orationem Gracchi de legibus promulgatis, in qua M. Marius et quosdam ex municipiis Italicis honestos uiros uirgis per iniuriam caesos a magistratibus populi Romani, quanta maxima inuidia potest, conqueritur.

Verba haec sunt, quae super ea re fecit: »Nuper Teanum Sidicinum consul uenit. Vxor eius dixit se in balneis uirilibus lauare uelle. Quaestori Sidicino M. Mario datum est negotium, uti balneis exigerentur, qui lauabantur. Vxor renuntiat uiro parum cito sibi balneas traditas esse et parum lautas fuisse. Idcirco palus destitutus est in foro, eoque adductus suae ciuitatis nobilissimus

homo M. Marius. Vestimenta detracta sunt, uirgis caesus est. Caleni, ubi id audierunt, edixerunt, ne quis in balneis lauisse uellet, cum magistratus Romanus ibi esset. Ferentini ob eandem causam praetor noster quaestores arripi iussit: alter se de muro deiecit, alter pressus et uirgis caesus est.«

In tam atroci re ac tam misera atque maesta iniuriae publicae contestatione ecquid est, quod aut ampliter insigniterque aut lacrimose atque miseranter aut multa copiosaque inuidia grauique et penetrabili querimonia dixerit? breuitas sane et uenustas et mundities orationis est, qualis haberi ferme in comoediarum festiuitatibus solet.

Item Gracchus alio in loco ita dicit: »Quanta libido quantaque intemperantia sit hominum adulescentium, unum exemplum uobis ostendam. His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adulescens pro legato. Is in lectica ferebatur. Ei obuiam bubulcus de plebe Venusina aduenit et per iocum, cum ignoraret, qui ferretur, rogauit, num mortuum ferrent. Vbi id audiuit, lecticam iussit deponi, struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo uerberari iussit, dum animam efflauit.«

Haec quidem oratio super tam uiolento atque crudeli facinore nihil profecto abest a cotidianis sermonibus. At cum in simili causa aput M. Tullium ciues Romani, innocentes uiri, contra ius contraque leges uirgis caeduntur aut supplicio extremo necantur, quae ibi tunc miseratio? quae comploratio? quae totius rei sub oculos subiectio? quod et quale inuidiae atque acerbitatis fretum efferuescit? animum hercle meum, cum illa M. Ciceronis lego, imago quaedam et sonus uerberum et uocum et eiulationum circumplectitur; uelut sunt ista, quae de C. Verre dicit, quae nos, ut in praesens potuimus, quantum memoria subpeditabat, adscripsimus: »Ipse inflammatus scelere et furore in forum uenit. Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. Exspectabant omnes, quo tandem progressurus aut quidnam acturus esset, cum repente hominem proripi atque in foro medio nudari ac deligari et uirgas expediri iubet.« Iam haec medius fidius sola uerba: »nudari ac deligari et uirgas expediri iubet« tanti motus horrorisque sunt, ut non narrari, quae gesta sunt, sed rem geri prosus uideas.

Gracchus autem non querentis neque implorantis, sed nuntiantis uicem: »palus« inquit »in foro destitutus est, uestimenta detracta sunt, uirgis caesus est.« Sed enim M. Cicero praeclare cum diutina repraesentatione non »caesus est«, sed: »caedebatur« inquit »uirgis in medio foro Messanae ciuis Romanus, cum interea nullus gemitus, nulla uox illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi haec: "ciuis Romanus sum!" Hac commemoratione ciuitatis omnia uerba depulsurum cruciatumque a corpore deiecturum arbitrabatur.« Complorationem deinde tam acerbae rei et odium in Verrem detestationemque aput ciuis Romanos inpense atque acriter atque inflammanter facit, cum haec dicit: »O nomen dulce libertatis! o ius eximi-

um nostrae ciuitatis! o lex Porcia legesque Semproniae! o grauiter desiderata et aliquando reddita plebi Romanae tribunicia potestas! Hucine tandem haec omnia reciderunt, ut ciuis Romanus in prouincia populi Romani, in oppido foederatorum, ab eo, qui beneficio populi Romani fasces ac secures haberet, deligatus in foro uirgis caederetur? Quid? cum ignes ardentisque laminae ceterique cruciatus admouebantur, si te illius acerba imploratio et uox miserabilis non leniebat, ne ciuium quidem Romanorum, qui tum aderant, fletu gemituque maximo commouebare?«

Haec M. Tullius atrociter, grauiter, apte copioseque miseratus est.

3 C. Titius (usque ad a. 651/103?)

Cic. Brut. 167

eiusdem fere temporis [atque Crassus et Antonius] fuit eques Romanus C. Titius, qui meo iudicio eo peruenisse videtur quo potuit fere Latinus orator sine Graecis litteris et sine multo usu peruenire. huius orationes tantum argutiarum tantum exemplorum tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae esse videantur. easdem argutias in tragoedias satis ille quidem acute sed parum tragice transtulit. quem studebat imitari L. Afranius poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus.

SVASIO LEGIS FANNIAE (a. 593/161)

ludunt alea studiose, delibuti unguentis, scortis stipati. ubi horae decem sunt, iubent puerum vocari ut comitium eat percontatum quid in foro gestum sit, qui suaserint, qui dissuaserint, quot tribus iusserint, quot vetuerint. inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant. dum eunt, nulla est in angiporto amphora quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant. veniunt in comitium, tristes iubent dicere. quorum negotium est narrant, iudex testes poscit, ipse it minctum. ubi redit, ait se omnia audivisse, tabulas poscit, litteras inspicit: vix prae vino sustinet palpebras. eunt in consilium. ibi haec oratio: »quid mihi negotii est cum istis nugatoribus, quin potius potamus mulsum mixtum vino Graeco, edimus turdum pinguem bonumque piscem, lupum germanum qui inter duos pontes captus fuit?«.

4 Q. Lutatius Catulus

Cos. a. 652/102 cum C. Mario, se ipse peremit a. 667/87 a Mario mori iussus.

Cic. Brut. 131

atque eodem tempore accusator de plebe L. Caesulenus fuit, quem ego audivi iam senem, cum ab L. Sabellio multam lege Aquilia †de iustitia† petivisset. non fecissem hominis paene infimi mentionem, nisi iudicarem qui suspiciosius aut criminiosius diceret audivisse me neminem. doctus etiam Graecis T. Albucius vel potius paene Graecus. loquor, ut opinor; sed licet ex orationibus iudicare. fuit autem Athenis adulescens, perfectus Epicureus evaserat, minime aptum ad dicendum genus.

Iam Q. Catulus non antiquo illo more sed hoc nostro, nisi quid fieri potest perfectius, eruditus. multae litterae, summa non vitae solum atque naturae sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini sermonis integritas; quae perspicui cum ex orationibus eius potest tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium poetam familiarem suum; qui liber nihilo notior est quam illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri.

Tum Brutus: mihi quidem, inquit, nec iste notus est nec illi; sed haec mea culpa est, numquam enim in manus inciderunt. nunc autem et a te sumam et conquiram ista posthac curiosius.

Fuit igitur in Catulo sermo Latinus; quae laus dicendi non mediocris ab oratoribus plerisque neglecta est. nam de sono vocis et suavitate appellandarum litterarum, quoniam filium cognovisti, noli exspectare quid dicam. quamquam filius quidem non fuit in oratorum numero; sed non deerat ei tamen in sententia dicenda cum prudentia tum elegans quoddam et eruditum orationis genus. nec habitus est tamen pater ipse Catulus princeps in numero patronorum; sed erat talis ut, cum quosdam audires qui tum erant praestantes, videretur esse inferior, cum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quaereres.

5 M. Antonius, L. Crassus

M. Antonius natus est a. 611/143; triennio maior fuit quam Crassus. Consul a. 655/99, censor cum L. Valerio Flacco a. 657/97. In republica ab optimatibus stetit; quare bello civili inter Sullam et Marium orto a. 667/87 huius iussu interfectus est eiusque caput in rostris positum.

L. Licinius Crassus natus est a. 614/140; inter annos 642/112 et 646/108 quaestor in Asia fuit, unde Athenas venit; a. 647/107 tribunus plebis etc; consul a. 659/95 cum Q. Mucio Scaevola quem in omnibus fere magistratibus collegam habuit; censor denique fuit a. 662/92 cum Cn. Domito Ahenobarbo, quo in magistratu rhetores Latinos edicto ex urbe sustulit. Mortuus est a. 663/91.

Cic. Brut. 138

quam multi enim iam oratores commemorati sunt et quam diu in eorum enumeratione versamur, cum tamen spisse atque vix, ut dudum ad Demosthenen et Hyperiden, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus. nam ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam.

Omnia veniebant Antonio in mentem; eaque suo quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possent, ut ab imperatore equites, pedites, levis armatura, sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus conlocabantur. erat memoria summa, nulla meditationis suspicio; imparatus semper adgredi ad dicendum videbatur, sed ita erat paratus, ut iudices illo dicente non numquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse. verba ipsa non illa quidem elegantissimo sermone; itaque diligenter loquendi laude caruit – neque tamen est admodum inquinata locutus –, sed illa, quae proprie laus oratoris est in verbis. nam ipsum Latine loqui est illud quidem [est], ut paulo ante dixi, in magna laude ponendum, sed non tam sua sponte quam quod est a plerisque neglectum: non enim tam praeclarum est scire Latine quam turpe nescire, neque tam id mihi oratoris boni quam civis Romani proprium videtur. sed tamen Antonius in verbis et eligendis, neque id ipsum tam leporis causa quam ponderis, et conlocandis et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat; verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et conformationibus. quo in genere quia praestat omnibus Demosthenes, idcirco a doctis oratorum est princeps iudicatus. σχήματα enim quae vocant Graeci, ea maxime ornant oratorem eaque non tam in verbis pingendis habent pondus quam in inluminandis sententiis. sed cum haec magna in Antonio tum actio singularis; quae si partienda est in gestum atque vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententi-

is congruens: manus humeri latera supposio pedis status incessus omnisque motus cum verbis sententiisque consentiens; vox permanens, verum subrauca natura. sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. habebat enim flebile quiddam in questionibus aptumque cum ad fidem faciendam tum ad misericordiam commovendam: ut verum videretur in hoc illud, quod Demosthenem ferunt ei, qui quaesivisset quid primum esset in dicendo, actionem, quid secundum, idem et idem tertium respondisse. nulla res magis penetrat in animos eosque fingit format flectit, talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt.

Huic alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum. illud quidem certe omnes ita iudicabant, neminem esse, qui horum altero utro patrono cuiusquam ingenium requireret. equidem quamquam Antonio tantum tribuo quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. erat summa gravitas, erat cum gravitate iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos, Latine loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia, in disserendo mira explicatio; cum de iure civili, cum de aequo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia. nam ut Antonius coniectura movenda aut sedanda suspicione aut excitanda incredibilem vim habebat: sic in interpretando in definiendo in explicanda aequitate nihil erat Crasso copiosius; idque cum saepe alias tum apud centumviros in M'. Curi causa cognitum est. ita enim multa tum contra scriptum pro aequo et bono dixit, ut hominem acutissimum Q. Scaevolam et in iure, in quo illa causa vertebatur, paratissimum obrueret argumentorum exemplorumque copia; atque ita tum ab his patronis aequalibus et iam consularibus causa illa dicta est, cum uterque ex contraria parte ius civile defenderet, ut eloquentium iuris peritissimus Crassus, iuris peritorum eloquentissimus Scaevola putaretur. qui quidem cum peracutus esset ad excogitandum quid in iure aut in aequo verum aut esset aut non esset, tum verbis erat ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus. quare sit nobis orator in hoc interpretandi explanandi edisserendi genere mirabilis sic ut simile nihil viderim; in augendo in ornando in refellendo magis existimator metuendus quam admirandus orator. verum ad Crassum revertamur.

Cic. de or. 2, 197

»... Quam ob rem hoc vos doceo, Sulpici, bonus ego videlicet atque eruditus magister, ut in dicendo irasci, ut dolere, ut flere possitis. Quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali meo tantum incendium non oratione solum, sed etiam multo magis vi et dolore et ardore animi concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere? Habueras enim tu omnia in causa superiora: vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribuniciam in Ca-

epionis gravi miserabilique casu in iudicium vocabas; deinde principem et senatus et civitatis, M. Aemilium, lapide percussum esse constabat; vi pulsum e templo L. Cottam et T. Didium, cum intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare. Accedebat ut haec tu adulescens pro re publica queri summa cum dignitate existimarere; ego, homo censorius, vix satis honeste viderer seditiosum civem et in hominis consularis calamitate crudelem posse defendere. Erant optimi cives iudices, bonorum virorum plenum forum, vix ut mihi tenuis quaedam venia daretur excusationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi quaestor fuisset. Hic ego quid dicam me artem aliquam adhibuisse? Quid fecerim, narrabo; si placuerit, vos meam defensionem in aliquo artis loco reponetis. Omnium seditionum genera, vitia, pericula conlegi eamque orationem ex omni rei publicae nostrae temporum varietate repetivi conclusique ita, ut dicerem, etsi omnes semper molestae seditiones fuissent, iustas tamen fuisse non nullas et prope necessarias. Tum illa, quae modo Crassus commemorabat, egi: neque reges ex hac civitate exigi neque tribunos plebis creari neque plebiscitis totiens consularem potestatem minui neque provocationem, patronam illam civitatis ac vindicem libertatis, populo Romano dari sine nobilium dissensione potuisse; ac, si illae seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si quis motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine atque in fraude capitali esse ponendum. Quod si umquam populo Romano concessum esset ut iure incitatus videretur, id quod docebam saepe esse concessum, nullam illa causa iustiore fuisse. Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Caepionis fugam, in deplorandum interitum exercitus: sic et eorum dolorem, qui lugebant suos, oratione refricabam et animos equitum Romanorum, apud quos tum iudices causa agebatur, ad Q. Caepionis odium, *(a)* quo erant ipsi propter iudicia abalienati, renovabam. Quod ubi sensi me in possessionem iudici ac defensionis meae constitisse, quod et populi benevolentiam mihi conciliaram, cuius ius etiam cum seditionis coniunctione defenderam, et iudicum animos totos vel calamitate civitatis vel luctu ac desiderio propinquorum vel odio proprio in Caepionem ad causam nostram converteram, tum admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi, lenitatis et mansuetudinis coepi: me pro meo sodali, qui mihi in liberum loco more maiorum esse deberet, et pro mea omni fama prope fortunisque decernere; nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quam si is, qui saepe alienissimis a me, sed meis tamen civibus saluti existimarere fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem. Petebam a iudicibus ut illud aetati meae, ut honoribus, ut rebus gestis, si iusto, si pio dolore me esse adfectum viderent, concederent; praesertim si in aliis causis intellexissent omnia me semper pro amicorum periculis, nihil umquam pro me ipso deprecatum. Sic in illa omni defensione atque causa, quod esse in arte positum videbatur, ut

de lege Appuleia dicerem, ut quid esset minuere maiestatem explicarem, perquam breviter perstrinxi atque attigi; his duabus partibus orationis, quarum altera commendationem habet, altera concitationem, quae minime praeceptis artium sunt perpolitae, omnis est a me illa causa tractata, ut et acerrimus in Caepionis invidia renovanda et in meis moribus erga meos necessarios declarandis mansuetissimus viderer: ita magis adfectis animis iudicium quam doctis, tua, Sulpici, est a nobis tum accusatio victa.◀

Cic. de or. 2, 218

Etenim cum duo genera sint facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve, illa a veteribus superior cavillatio, haec altera dicacitas nominata est. Leve nomen habet utraque res. Quippe; leve enim est totum hoc risum movere. Verum tamen, ut dicis, Antoni, multum in causis persaepe lepore et facetiis profici vidi.

(...)

Nam id, quod tu mihi tribuis, Antoni, Crasso est omnium sententia concedendum; non enim fere quisquam reperietur praeter hunc in utroque genere leporis excellens: et illo, quod in perpetuitate sermonis, et hoc, quod in celeritate atque dicto est.

(...)

Sed ut in Scaevola continuit ea Crassus atque in illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarum inerant, causam illam disputationemque *(e)*ludit, sic in Bruto, quem oderat et quem dignum contumelia iudicabat, utroque genere pugnavit. Quam multa de balneis, quas nuper ille vendiderat, quam multa de amisso patrimonio dixit! Atque illa breviter, cum ille diceret se sine causa sudare, “minime” inquit “modo enim existi de balneis.” Innumerabilia *(alia)* fuerunt, sed non minus iucunda illa perpetua: cum enim Brutus duo lectores excitasset et alteri de colonia Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia, et cum contraria inter sese de re publica capita contulisset, noster hic facetissime tris patris Bruti de iure civili libellos tribus legendos dedit. Ex libro primo: “forte evenit ut in Privernati essemus.” “Brute, testificatur pater se tibi Privernatem fundum reliquisse.” Deinde ex libro secundo: “in Albano eram ego et Marcus filius.” “Sapiens videlicet homo cum primis nostrae civitatis norat hunc gurgitem; metuebat ne, cum is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur.” Tum ex libro tertio, in quo finem scribendi fecit – tot enim, ut audivi Scaevolam dicere, sunt veri Bruti libri – “in Tiburti forte adsedimus ego et Marcus filius.” “Ubi sunt hi fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? Quod nisi puberem te, inquit, iam haberet, quartum librum composuisset et se etiam in balneis lotum cum filio scriptum reliquisset.” Quis est igitur qui non fateatur

hoc lepore atque his facetiis non minus refutatum esse Brutum quam illis tragoediis, quas egit idem, cum casu in eadem causa efferretur anus Iunia. Pro di immortales, quae fuit illa, quanta vis! quam inexpectata! quam repentina! cum coniectis oculis, gestu omni ei imminente, summa gravitate et celeritate verborum “Brute, quid sedes? Quid illam anum patri nuntiare vis tuo? Quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? Quid maioribus tuis? Quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit? Quid te agere? Cui rei, cui gloriae, cui virtuti studere? Patrimonione augendo? At id non est nobilitatis. Sed fac esse, nihil superest; libidines totum dissipaverunt. An iuri civili? Est paternum. Sed dicet te, cum aedis venderes, ne in rutis quidem et caesis solium tibi paternum recepisse. An rei militari? Qui numquam castra videris! An eloquentiae? Quae neque est in te, et, quicquid est vocis ac linguae, omne in istum turpissimum calumniae quaestum contulisti! Tu lucem aspicere audes? Tu hos intueri? Tu in foro, [tu in urbe,] tu in civium esse conspectu? Tu illam mortuam, tu imagines ipsas non perhorrescis? Quibus non modo imitandis, sed ne conlocandis quidem tibi locum ullum reliquisti.” Sed haec tragica atque divina...